



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

III. Apud Olonam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

sicut Dei gratiam & nostram habere desiderat, ita præstet obedientiam & reverentiam huic Pontifici.

Capitula IV. & VII. omisimus, quia relata non reperiuntur in libros legis Longobardorum.

## TITVLVS III.

### Apud Olonam.

*Incipiunt Capitula que Dominus Hlotharius Imperator primo anno imperij sui, quando in Italia accessit, in summo generale placitum curte Olonna instituit.*

#### CAP. I.

Lib. 1. leg. Longob. tit. 34. c. 3.

SI liber homo seipsum ad servitium implicaverit pro aliquibus causis, si liberam feminam habuerit aut infantes, ipsi in eorum libertate permaneant. Et si ipsa mulier defuncta fuerit, & aliam liberam feminam sibi copulaverit servienti, ipsa in servitio permaneant.

#### II.

Ibid. lib. 1. tit. 32. c. 6.

Si quis homo alienam uxorem adulteraverit, & secundum legem ei in manus tradita fuerit, & postea convicti fuerint, partibus publicis recipiantur; & qui ipsos comparatos habuerit, pretium suum perdat.

#### III.

Ibid. lib. 1. tit. 33. c. 7.

Volumus ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere de Vicariis & Centenariis qui magis propter cupiditatem quam propter iustitiam faciendam sapissime placita tenent, & exinde populum nimis affligunt, & ita teneatur sicut in Capitulare Domini Karoli continetur, id est, ut nullus ad placitum banniatum nisi qui causam suam querit, aut si alter ei querere debet, exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent.

#### IV.

Lib. 1. tit. 17. c. 9.

Volumus de obligationibus ut nullus homo per sacramentum nec per aliam obligationem adunationem faciat. Et si hoc facere præsumperit, tunc ille qui prius ipsum consilium inchoavit & hoc factum habet, in exilio ab ipso Comite in Corsicam mittatur, & illi alij bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componant. Et si talis fuerit qui non habeat unde ipsum componat, sexaginta ictus accipiat.

Tom. II.

#### V.

Volumus ut cum collecta vel scutis in palatio Comitis nullus præsumat venire. Et si præsumperit, bannum nostrum componat.

#### VI.

De sanctimoniali femina statuimus ut si adulterium fecerit, & inventum fuerit, res quas habet scisco socientur, persona verò ejus sit in potestate Episcopi in cujus parrochia est, ut in monasterium intro mittatur.

#### VII.

Volumus ut Episcopi & Abbates & Abbatissæ suos Advocatos habeant, & plenam iustitiam faciant ante Comitem suum.

#### VIII.

De illis hominibus qui res suas alienaverint ubicunque, & super resident, distringat eos Comes per scubias publicas, sicut lex habet.

#### IX.

Volumus ut Episcopi unà cum Comite suo Advocatos eligant.

#### X.

Placuit nobis de omnibus liberis hominibus, ut nihil eis superponatur nisi sicut lex & rectitudo continet.

#### XI.

Volumus ut de scubiis publicis, quod ad utilitatem nostri regni pertinet, præceptum emunitatis impedimentum non præstet, sed adjutorium.

#### XII.

Vt Cancellarij electi boni & veraces chartas publicas conscribant ante Comitem & Scabinos & Vicarios ejus, & nullis modis hoc facere præsumant de pecunia antè quam legitimum pretium detur.

X



## XIII.

*Ibid. c. 1.* De Cancellariis qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, & secundum legem instrumenta chartarum conferbant, & à testibus roborentur. Et statim cum scripta charta fuerit, ostendatur ante Episcopum & Comitem sive iudicem vel Vicarios, aut in plebe, ut veraces agnoscantur esse.

## XIV.

*Ibid. tit. 7. c. 1.* Ut mulieres Romanæ quæ viros habuerunt Longobardos, eis defunctis à legibus virorum sint solute, & ad suam revertantur legem. Et hoc statuentes, ut simili modo fervetur in ceterarum natione mulierum.

## XV.

Placuit nobis ut si pro quibuslibet culpis aut criminibus quæcunque persona totiens fuerit correpta ut etiam excommunicatione episcopali pro contemptu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi confociet, & per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemptor ut iussioni sui Episcopi obediens existat. Si verò assensum non dederit, bannum nostrum nobis solvat. Quod si adhuc contumax perliterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si verò excommunicatus corrigi nequiverit, à Comite in vinculis distringatur quousque nostrum is contemptor suscipiat iudicium. Si verò in talibus Comes repertus fuerit noxius, per Episcopum ejus nobis nuntietur. Si autem vasallus noster in hac culpa lapsus fuerit, sicut supra per Comitem distringatur. Quod si non audierit, nobis innotescat ante quam in vinculis mittatur.

## XVI.

*Ibid. tit. 40. c. 7. & lib. 3. tit. 1. c. 40.* Volumus ut omni modo emunitates progenitoris nostri mercede seu nostra pleniter ac justè conserventur.

## XVII.

*Ibid. tit. 18. c. 2.* Volumus ut res quæ à liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum & ordinationem earundem rerum, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ita maneat sicut prius data fuerint.

## XVIII.

*Ibid. tit. 47. c. 8.* Singulis Episcopis, Abbatibus Abbatissis duos concedimus habere advocatos, eosque, quandiu advocacionem tenuerint, ab hoste relaxemus.

## XIX.

Prohibemus ut nemo usuram facere præsumat post Episcopi sui contestatio-

nem. Quod si quis post ejus interdictum facere præsumperit, à Comitibus, sicut supra dictum est de contemptoribus, præcipimus ut distringantur.

## XX.

Præcipimus ut singulæ plebes secundum antiquam consuetudinem fiant restauratæ. Quod si filij ejusdem Ecclesiæ eas restaurare noluerint, à ministris reipublicæ distringantur ut volentes nolentesque nostram observent præceptionem.

## XXI.

De precariis quoque quæ à rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & successoribus successores pena gravi obligabant ut facta ipsius nequeant dissolvere, præcipimus ut nemo successor in antecessoris sui pena statuta sit obligatus, sed suæ providentiæ sit concessum ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo ad jus Ecclesiæ tenendum revocetur.

## XXII.

Placuit nobis ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam reipublicæ utilitatem, fraudulenter ac ingeniosè res suas Ecclesiis delegant, easque denuo sub censu utendas recipiunt, ut quousque res suas possident, hostes & reliquas publicas functiones faciant.

## XXIII.

De feminis quibus, defunctis viris, lex Longobardorum prohibet ante anni spatium vestem religionis mutare vel umque suscipere, petierunt nostram licentiam ut mox dum divina pietas inspiraverit, eas indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes quia præterito tempore pro ipsa dilatazione multæ etiam raptu intra idem spatium ad aliam partem distractæ fuerunt, ideo & earum petitionem, quia censuimus esse justam, suscepimus, & eis fieri ita concedimus.

## XXIV.

Ut nullus Cancellarius pro ullo iudicato aut scripto aliquid amplius accipere audeat nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis. De minoribus autem infra dimidiam libram, quantum res assimilare possit, & iudicibus rectum videtur, accipiat. De orphanis autem vel de ceteris pauperibus qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit ut nequaquam inde aliquid accipiat. Notarij autem hoc jurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto scriptum aliquid faciant, nec de uno comitatu in alio



nisi per licentiam illius Comitis in cuius comitatu stare debent. Si verò necessitas in itinere aliqua compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare genitoris nostri faciant. Si notarius aliter fecerit, appareat inanis & vacuus.

## XXXV.

De chartis quæ à quibusdam personis falsæ appellantur constituimus ut si Notarius supervixerit & testes ipsi, veram & idoneam faciant. Et si testes mortui fuerint, & Notarius supervixerit, cum duodecim juratoribus ipsam chartam veram & idoneam faciat.

## XXXVI.

Ibid. lib. 3. tit. 37. Placuit nobis ut hæc capitula, quæ excerptissimus de Capitulare bonæ memoriæ avi nostri Karoli ac Domni genitoris nostri Lodoici Imperatoris, ab omnibus & sanctæ Ecclesiæ & nostris fidelibus in regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur & conserventur. Et quicumque eorum capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidos componat.

## XXXVII.

Ibid. tit. 37. c. 1. Quicumque liber homo ammonitus à Comite suo vel ministris ejus ad patriam defendendam ire neglexerit, & exercitus supervenerit ad istius regni vastationem vel contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subjaceat sententiæ. Similiter observandum est si vocati fuerint audito inimicorum nostrorum adventu, & ita contigerit ut hostes non supervenerint, ij qui vocati audire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet.

## XXXVIII.

Ibid. lib. 2. tit. 9. c. 4. Vt si cujuscunque servus liberam feminam sibi, ea consentiente, in conjugio copulaverit, & infra anni spatium secundum legem ad vindictam traditi non fuerint, sicut lex tales personas fisco nostro sociat, ita nostra liberalitate concedimus ut in potestate & servitio domini illius cujus servus fuerit ambo revertantur.

## XXXIX.

Ibid. tit. 31. c. 30. Similiter concedere volumus cunctis liberis personis ut nullus iudex publicus seu ministri publici eos contra legem audeant pignorarè in bubus, quia audivimus multa damna & afflictiones propter hoc populos nostros sustinere. Neque cogantur ad placita venire præter ter in anno, sicut in Capitulare continetur, exceptis Scabinis & causatoribus & testibus necessariis, quia omnia hæc auferre volumus, ut populus

Tom. II.

nostrer pacificè sub nostro regimine vivere possit.

## XXX.

Concedimus etiam Gastaldiis nostris Ibid. tit. 17. c. 2. curtes nostras providentibus ut si proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet justo adtractu adquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedit, ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint.

## XXXI.

Si quis aliquem de aliquo negotio mallaverit, & ille qui mallatus fuerit dicat, Ibid. tit. 30. c. 1. *Idco ei respondere nolo quia servus alterius sit*, aut si testimonia produxerit, & similiter dixerit quòd ea recipere non debeat quia aliquis eorum servus sit alterius, nominet dominum ejus, & sic det vuadium de eo ad placitum adducendo. Et posito placito, in quantum ire, ubi eum invenire credit, & reverti possit, iudices dicant. Et si in placito publico constituto dominum non adduxerit, præbeat sacramentum quòd pro nulla dilatazione justitiæ ejus hoc dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quòd si jurare ausus non fuerit quia pro occasione prolongandæ justitiæ hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum & justitiam plenissimam faciat. Si verò aliquem adduxerit qui se dominum ejus esse dicat, & illum quem de servitio appellavit replicare ad servitium non potuerit, tunc ille qui se dominum ejus dixit esse, bannum nostrum illi componat, eò quòd pro conculcanda justitia tale ingenium facere ausus fuit. Crimina verò si super eum pro dilatanda justitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, justitiam faciat, & insuper bannum nostrum pro tanta calliditate componere cogatur.

## XXXII.

Si fortè quispiam aliquem mallaverit, Ibid. c. 1. & ille qui mallatus fuerit dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus ut presentaliter se vuadiet ut ad primum aut secundum vel tertium placitum causam ipsam deliberet. Inter placitum & placitum sint dies quindecim. Tertium verò, quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies quindecim. Sin autem in alium, sint dies viginti, ne pro tali occasione ejus justitia prolongetur. Quòd si in his tribus placitis ille qui querit venire neglexerit, excepto servitio Regis aut inevitabili ne-

X ij



cessitate, & Comes placitum habuerit, ille quoque alius ad suam probandam libertatem paratus fuerit, tunc Comes ipsam causam finiat, veluti si ipse qui querit praesens fuisset, & ultra ille qui quaerit, facundiam dicendi de servitio illius non habeat, & insuper bannum nostrum illi componat ac iustitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui dum aliquos in servitio mallant, & ipsi de sua libertate probanda dant vudiam, in tantum eos mutando per placita lacerant ut vix per suam paupertatem evadere possint. Vnde tertium capitulum placuit addere.

## XXXIII.

Ibid. c. 3 Si verò alium ad servitium aliquis malaverit, & ille qui mallatus fuerit, ad probandam libertatem vudiam dederit, ju-

bemus ut supra ut ad primum vel ad secundum vel ad tertium placitum causam deliberet. Inter placitum & placum sint dies quindecim. Tertium verò, quando Comes placitum habuerit, si infra unum comitatum est, sint dies quindecim. Si autem in alium est, sint dies viginti. Et si in his tribus placitis ipse qui querit venire contempserit, anteposito quod superius anteposuimus, si est in servitio Regis vel inevitabili necessitate, & Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, & causam diffiniat, veluti si ipse qui querit praesens fuisset, & ultra ille qui quaerit, tacitus de servitio illius permaneat.

*Defunt nonnulla.*

## TITVLVS IV.

SIVE

## CAPITVLA ADDITA AD LEGEM LONGOBARDORVM.

Hæc sunt capitula quæ Domnus Hlotharius Rex instituere iussit.

## CAP. I.

Lib. 1. leg. Longob. tit. 1. c. 46.

DE Ecclesiis emendandis volumus ut ita observent sicut in Capitulare nostro continetur quod ad Olonam fecimus. Et si in uno loco plures Ecclesie sint quam necesse sit, destruantur. Quod si forte in aliquo loco sit Ecclesia constituta, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundum iussionem Domni ac genitoris nostri unus mansus cum duodecim bunuariis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus qui in eadem Ecclesia officium debent audire, ut sacerdos ibi possit esse & divinus cultus fieri. Quod si hoc populus facere noluerit, destruat.

## I I.

Lib. 1. tit. 40. c. 6.

Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuisse, si Presbyter fuerit in triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannum noster. Similiter de Diacono jux-

ta compositionem ejus in triplo & bannum nostrum componatur. De Subdiaconis similiter secundum suam compositionem in triplo persolvatur, & bannum nostrum componat. Similiter & de ietibus sine sanguinis effusione, de uniuscujusque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur, insuper & bannum nostrum. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitio eidem Ecclesie usque dum totum debitum persolvat.

## I I I.

Statuimus de Presbyteris & Diaconibus *Ibid.* ecclesiasticis honore privatis, ut redigantur sub penitentia, sicut canones præcipiunt. Et si habet Episcopus in sua parochia suum ministerium, ibi mittitur. Quod si ministerium non habuerit, tunc præcipiat Episcopus ut illi tales habeant in illa plebe unde sunt, eligant sibi patronum qui de ipsis rebus victum & vestimentum eis ministret. Ipsi tamen nullam habeant li-